

dicio examinanda destinavi. Simul et hoc scitote, quod nec in cera vel in tabula hæc expressi, sed, sicut in præsentibus scholis dictata sunt, ita sunt vobis directa : ut si forsam coram lecta non placuerint, non sit dolor perisse, quod constat vile fuisse. In priori quidem opere Anicium Boetium sum imitatus, in isto vero Prosperi nostri morem ex parte secutus. Tu vero, doctor sagacissime, lynceis oculis in talibus utens, orationibus tuis me adjuva, quatenus ad portum quietis quandoque prospere evectum audias me inter lætissimos celeuma ex alto canentem. Sancta et inseparabilis Trinitas vos cum omni grege vestro bene valere faciat, mei memorande semper in ævo. Amen.

O felix vates senioris nomine dignus,

Poscimus optatam det tibi Christus opem, etc.

Sane antequam de Vita sancti Galli aliquid tangam, de sanctæ Trinitatis essentia vel substantia pauca dicam, etc.

Primo sane, antequam de Vita sancti Galli tangeamus, de situ patriæ hujus et fluminibus ejus, Rheni scilicet et Danubii, dicendum summatim ratum duxtimus.

Nunc primum loca tangentes cum flumine Rheno, In quibus est commoratus dignissimus heros, etc.

Has Europa tenet prisco sub nomine gentes,

Quas Hister secum retinet divortia Rheni.

Et satis hinc dictum, clarum nunc persono flumen.

A Rhenus ab Ausoniis descendens montibus altis, In Brigantium mare se stagnare videtur. Antiquo ex fluvio sic dictus nomine Pontus, Qui modo Podamicus vocitatur gurgite noto. Et dum se extendit circum per longa viarum, Fertilitate sui nullis manet æquiparandus Fluminibus, præstans piscosi germinis agmen. Hinc æquor medium secat et complectitur urbem, Nomine quæ proprii est regis Constantia dicta, Quam Salomon nunc antistes clarissimus ornat, Doctrina et pietate Dei cultuque benignus. Exin progrediens parit Auvam cespite claram, Insula quæ est aliis præstantior Augia sola. Auget enim indoctis doctam cum dogmate vitam, Fertilis arboribus cum vitibus undique cincta.

B Quo flores vernant semper, quo lilia spirant.

Quæ me nutrit ovans, et cum nutrimine sancto ;

Quam laudet populus... hinc usque Britannos

Cujus adest Folcwinus custos, Candidus, abbas,

Tempore qui longo salvus sit charus adopto,

Et multis annis tranquilla pace fruatur.

Possideat sine fine novæ, et nova gaudia vitæ, etc.

Quin potius cunctos dimitte ore Pelasgos,

Totum se versat Gallum cantate beatum,

Gallum, inquam, Domini, sanctum et pietate benignum,

Cujus amore quidem cupimus nos scribere quædam.

Sed tu blanda manu hæc tu ne scindas, Homere.

Quin etiam magnas magnis concede magistris :

At parvas parvis nostras da carminis odas.

ANNO DOMINI DCCCLIII.

# ERCHAMBERTUS

FRISINGENSIS EPISCOPUS.

## NOTITIA HISTORICA IN ERCHAMBERTUM.

(Fabric., Biblioth. med. et inf. Lat.)

ERCHAMBERTI fragmentum ex breviario regum Francorum et majorum domus a Chlodhario usque ad Theodoricum Dagoberti junioris filium, sive ab anno 613 ad 727 apud Freherum, tom. I Scriptorum Francorum, pag. 167 ; apud Andream du Chesne, tom. I Scriptorum de rebus Francorum, pag. 780, 781, et apud Ruinartum ad Gregorium Turonensem, pag. 1352. Vide et Carolum Le Coite, tom. IV Annalium, pag. 176.

## ERCHAMBERTI

Epistola ad suos de corpore sancti Bartholomæi apostoli in Boiariam, ut ferebatur, ahhato.

(Pez., Thesaurus Anecd., tom. VI.)

ERCHAMBERTUS, Dei gratia donante, humilis episcopus, omnibus fratribus Christo militantibus in Domino salutem.

Denique cognoscat benevolentia vestra quod qui-

dam vir, nomine Felix, per missum suum demandavit seniori nostro rege, dicens se corpus S. Bartholomæi apostoli et aliorum sanctorum corpora secum nostris partibus detulere. Quod nos cum gaudio et

libenti animo Deum laudando audivimus. Sed adhuc incertum habemus, utrum credibile nobis existere debeat, an non contigit fideles senioris nostri insimul venisse in sua [præsentia: et de eo incipiebamus meditari. Et tunc demum, quando pertractavimus, ita nos coadunavimus, triduanum jejunium agere, quatenus a Deo omnipotente in aliquibus signis nobis ostendere mereamur, si ipse supradictus

A Felix verum dicat aut aliter: et ne fallente diabolo nos decipiat. Rogamus vero et jubemus, qui spontanea voluntate hoc jejunium colere [volueritis], ut abstineatis vos a vino et carne et medo et melscada, cervisa, et de lacte et ovo, et sequimini crucem ad horam nonam in XII K. [Kalend.] in XI K., et X K., et ut istam notitiam aliis in antea non negligatis transmittere.

## ERCHAMBERTI FRAGMENTUM.

*Ex Breviario regum Francorum, et majorumdomus.*

Chlodharius rex de Austris, postquam Theodericus et Theodebertus reges et germani mortui sunt, recepit regnum eorum, consilio et adjutorio Pippini senioris, qui tunc temporis majordomus erat. Et sortitus est præfatus rex trium regnorum monarchiam sexdecim annis, sicut illi sanctus Columbanus abba in prophetico spiritu antea prædixit: quia ille Theodericus rex instigante Brunihilla avia sua de suo monasterio illum expulerunt. Quam etiam statim ut comprehendit Chlodharius, vitam ignominiose finire fecit. Majordomus tunc Gundolandus vir egregius erat.

Post non multum rex præfatum Pippinum in Austris cum filio suo jam adulto Dagoberto misit, ibidem eum regem constituendum, ipsumque ei in majorem domus ac pædagogum constituens.

Dagobertus rex, post mortem patris, regnavit annis sexdecim. Hic magnificus ecclesiis Dei largitor ac distributor fuit. Majordomus ejus Erchanoldus [Erchanbaldus] vir illuster, Pippino interim in Auster duce, ac non post multum mortuo post mortem Dagoberti regis.

Chlodoveus rex, filius Dagoberti, regnavit sexdecim annis, qui omni spurcitiæ deditus fuit. Majordomus qui supra.

Chlodharius rex, filius Chlodovei, adhuc in puerili ætate suæ juventutis mortuus est, regnavitque annis quatuor. Majordomus Ebroinus.

Theodericus rex, filius Chlodovei, frater Chlodharii, regnavit annis novemdecim. Majordomus Bertharius. Quo occiso, Pippinus junior filius Ansegisili [Ansgisi] veniens de Austrasiis, successit in principatum majorumdomus.

Exhinc reges nomen, non honorem habere cœperunt. Quibus tamen ubi constitutum fuerat, victus fuerat exuberans, custodiaque jugis erga illos habebatur, ne aliquid jure potestatis agere possint. Illis namque temporibus ac deinceps Gotefredus dux Alamannorum, cæterique circumquaque duces noluerunt obtemperare ducibus Francorum, eo quod non potuerunt regibus Meroveis servire, sicut antea soliti fuerant. Ideo se unusquisque secum tenuit,

B donec tandem aliquando post mortem Gotefridi ducis, Carolus cæterique principes Francorum paulatim ad se revocare illos arte qua poterant studuere.

Chlodoveum adhuc puerum filium Theoderici constituunt regem, qui tantum regnavit annos duos. Majordomus Pippinus qui supra.

Childebertum filium Theoderici, fratrem Chlodovei, statuunt in regnum, qui regnavit annos septemdecim. Majordomus constituitur Grimoaldus, filius Pippini, quia ipse Pippinus ægrotare cœperat, qua infirmitate et moritur, et interim Grimoaldus occiditur.

Dagobertum filium Childeberti regem statuunt, qui regnavit annos quinque. Majordomus Thedoldus filius Grimaldi, post quem Régisfredus [Ragisfredus].

Illis temporibus Carolus, filius Pippini ex concubina, in custodia a Plectrude matrona ejusdem Pippini tenebatur: auxiliante Domino vix evasit.

Danihelem quondam clericum, cæsarie capitis crescente, regem Franci constituunt, quem Chilpericum nuncupant: quia deficiente prosapia regum, illum quem propinquiorem Meroveis invenire poterant, statuere; quia Merovei (ut aiunt) sicut antiquitus Nazaræi, nullo capitis crine inciso erant. Regnavitque annis sex.

Interim prædictus Carolus princeps ad Austrasias paternarum sedium aufugiens, ibique principatum arripiens, regemque sibi nomine Chlodharium constituens, multa bella cum Chilperico rege et suo majoredomus nomine Reganfredo commisit, eosque ut voluit superavit, et thesaurum patris sui a Plectruda recepit, suusque rex Chlodharius post non multum obiit.

Theodericum filium Dagoberti [Dagoberti] junioris Franci in regem sibi statuunt, qui nutritus in Cala monasterio erat, regnavitque annis sex. Majordomus ac princeps Carolus; qui jam utraque regna viriliter gubernans, circumquaque cum regibus ac ducibus bella semper superando committens, donec eum omnes vincendo, qui ei contrarii fore videbantur, vincere constabat.